HIERONYMUS
Salzburg, Ende 11. Jh. Seite 38v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift



uirgilio centonas

ΟΗΑΣ ΣΟΧΠΥΛΑΘΩ
ΡΕΡΥΣΕ ΥΨΑΨΥΣΕ
ΩΡΩ dicimus.

uitiosissimum dicendi genus deprauare sententias. & ad uoluntatem suam scrip
turam trahere repugnantem. quasi non legerimus homero centonas. ac non
sic & iam maronem sine xpo possum dicere xpianum. quia scripserit. iam redit
et uirgo redeunt saturnia regna. iam noua progenies celo dimittitur alto.
et patrem loquentem ad filium. Nate mee uires mea magna potentia so
lus. Et post uerba saluatoris in cruce. talia prestabat. memorans fixusque
manebat. Puerilia sunt hec. et circulatorum ludo similia docere quod
ignores. immo ut cum stomacho loquar. nec hoc quidem scire quod nescias.
Videlicet manifestissima est genesis. in qua de creatura mundi. de ex
ordio generis humani. de diuisione terre. de confusione linguarum.
& gente usque ad exitum scribitur ebreorum. Patet exodus cum x plagis. cum
decalogo. cum mysticis diuinisque preceptis. In promptu est leuiticus liber
in quo singula sacrificia. immo singule pene syllabe et uestes aaron
& totus ordo leuiticus. inspirant celestia sacramenta. Numeri uero non
ne totius arithmetice & prophetie balaam et xl duarum peheremum mansi
onum mysteria continent. Deutronomium quoque secunda lex. et euangelice
legis prefiguratio. nonne sic ea habet que priora sunt. ut tamen noua sint
omnia de ueteribus. huc usque moyses huc usque πενηκε quibus quinque
uerbis loqui se uelle apostolus in ecclesia gloriatur. Job exemplar patientie. que
non mysteria suo sermone complectitur. prosa incipit. uersu labitur. pedes
tri sermone finitur. omnisque legis dialectice. propositione assumptione. con
firmatione. conclusione. determinatur. Singula in eo uerba plena sunt
sensibus. Et ut de ceteris silentium. resurrectionem corporum sic prophetat. ut
nullus de ea uel manifestius uel cautius scripserit. Scio inquit quod redemp
tor meus uiuit & in nouissimo de terra resurrecturus sum. et rursum circum
dabor pelle mea. & in carne mea uidebo dominum. quem uisurus sum ego ipse. & oculi mei